

febrium, vermium, caduci, ac plurimorum aliorum id genus curatu valde difficile morborum ex oppilationibus ortorum, vt infrà latiùs. In vtraque facultate medicinæ videlicet, & Alchimix, mirandas operationes, ac varias pro modo suæ præparationis efficit. Ex eo nanq; tamquam ex ligno vno variæ fabricantur imagines, varia pariter parantur medicamenta præstantissima, cùm ad internas, tum ad chirurgicales curas, vti capitis tineam, lepram: in summa quicquid alia non possunt præstare præ debilitate virium aduersus morbos, id omne tollit à fundamento, vitium extirpando. Virtutes eius cum primis cognoscendæ: nonnullas crudum existens patefacit, alias in aquam reductum, calcinatum alias, atque alias in oleum viride redactum, in forma olei rubei alias, item alias in albi habet olei forma; toties nouas induit virtutes, quoties aliam formam à præparatione recipit. Supplere solum potest pro quarta parte morborum, & pharmacorum omnium adhuc excogitatorum. Non est opus igitur vero medico huc atq; illuc